

Ihm, Quaestiones Syntacticae



QUAESTIONES SYNTACTICAE

DE ELOCUTIONE TACITEA

COMPARATO CAESARIS SALLUSTI VELLEI

USU LOQUENDI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE GISSENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GEORGIUS IHM

DARMSTADTIENSIS.

GISSAE.

TYPIS VILELMI KELLER.

MDCCCLXXXII.

Particula prima.

Hac dissertationis particula examinaturus sum, quibus rationibus factum sit, ut apud Tacitum enuntiatorum secundariorum usus ac numerus non tam frequens sit, quam apud alios scriptores.

A. prima causa posita est in Taciti studio breviter loquendi.

Quo saepius enim Tacitus participia ablativosque absolutos ita usurpat, ut enuntiatorum temporalium, condicionalium, adversativorum, modalium, causalium vice fungantur, eo minus frequens est numerus ususque talium enuntiatorum. Habemus igitur rationem quandam sententias enuntiataque decurtandi, cuius exempla collecta invenimus apud Helmium quaest. synt. p. 88—111.

I. Duo addenda esse videntur huic parti commentationis Helmianae. Ac primum quidem vereor ne Helm nimis audacter exempla per singula enuntiatorum genera distribuerit. Quis enim diiudicet, quaenam notio in uno alterove exemplo sit potior, utrum causalis, an modalis, an condicionalis, ut nemo rem sibi, aliter fingere queat?

Deinde Helm, cum in colligendis exemplis profectus sit ex participiorum usu observando, ea exempla

ablativi absoluti non attulit, quibus participium deest. Haec ipse sum prolaturus, quamquam bene scio non omnia in hac re tractanda accurate diiudicari seiungique posse a liberiore usu ablativi modali.

Agr. 7, 9. 9, 21. 31, 16. 44, 14. Germ. 30, 2. hist. I 1, 19. 9, 3. 10, 4. 19, 6. 31, 2. 18. 34, 7. 38, 3. 47, 8. 48. 2. 54, 15. 55, 2. 63, 6. 66, 13. 72, 7. 76, 8. 86, 7. II 34, 1. 36, 8. 42, 6. 8. 46, 9. 58, 12. 66, 3. 78, 22. 82, 13. 83, 9. 86, 3. 90, 3. 91, 4. 93, 1. 97, 4. III 5, 10. 12, 1. 17, 8. 18, 2. 25, 4. 10. 26, 5. 6. 27, 12. 28, 8. 29, 12. 38, 8. 39, 7. 45, 2. 47, 18. 50, 1. 6. 55, 14. 56, 12. 57, 1. 8. 59, 7. 60, 4. 67, 8. 69, 15. 71, 2. 72, 2. 77, 3. 79, 1. 83, 16. 84, 3. 86, 13. IV 1, 6. 7. 3, 2. 12, 14. 30, 3. 33, 3. 35, 5. 38, 10. 40, 3. 50, 3. 56, 10. 61, 9. 68, 26. 69, 14. 72, 2. 77, 9. 81, 9. 21. V. 7, 9. 8, 11. 18, 15. 22, 3.

ann. I 2, 14. 3, 6. 10, 9. 35, 13. 37, 6. 57, 3. 58, 23. 68, 23. 68, 7. 70, 4. II 19, 6. 55, 28. 64, 4. 67, 5. 78, 10. 80, 12. III 2, 15. 12, 3. 14, 18. 26, 9. 27, 13. 34, 28. 43, 13. 45, 4. 56, 10. IV 2, 11. 11, 11. 12, 10. 27, 13. 33, 4. 47, 7. 50, 10. 56, 8. 67, 9. VI 23 (17), 18. 26 (19), 5. 32 (26), 2. XI 2, 11. 7, 13. 9, 1. 15, 3. 25, 11. 32, 15. 36, 11. XII 26, 2. 38, 5. 39, 7. 14. XIII 1, 1. 12, 5. 15, 16. 18. 22, 6. 26, 4. 40, 6. 12. XIV 4, 5. 5, 1. 10. 10, 4. 17, 5. 20, 3. 14. 27, 12. 31, 13. 37, 5. 44, 7. 46, 5. 62, 7. 64, 6. XV 7, 6. 10. 11, 9. 15, 9. 18, 2. 22, 3. 29, 14. 57, 16. 70, 3. XVI 13, 5.

II. Interdum indicat Tacitus quonam sensu participium vel ablativus absolutus accipiendus sit coniunctionibus, quas adposuit. — Huius usus exempla collecta inveniuntur apud Helmium p. 115. 116. Ipse hoc loco ea exempla ablativi absoluti prolaturus sum, quibus et verbum deest, et coniunctio addita est: hist. I 83, 1 *quamquam turbidis rebus*. II 41, 14. 73, 6. III 2, 20. 18, 15. IV 18, 19.

ann. I 7, 9. 65, 11. II 18, 4. III 30, 8. IV 17, 15. 23, 12. 63, 10. XII 30, 4. XIII 16, 19. 35, 12. XV 5, 1.

III. substantivis addit Tacitus simili ratione coniunctiones.

a. *quamquam.* ann. XI 10, 9.

b. *quamvis.* ann. II 1, 4. XIII 23, 10. XV 24, 4.

c. *ut.* Agr. 8, 10. hist. I 34, 2. 44, 6. 46, 9. 68, 15. 77, 6. II 66, 10. 68, 18. 91, 8. III 10, 5. 60, 8. 62, 6. IV 65, 21. 80, 12. ann. I 7, 16. II 63, 4. XII 25, 3. XIII 18, 12. 56, 6.

d. *tanquam.* hist. II 71, 9. IV 14, 13. 16, 15. 49, 18.

e. *velut.* dial. 19, 1. 30, 14. 38, 8. 39, 15. Agr. 44, 19. G. 31, 9. hist. I 24, 1. ann. I 34, 5. XIV 37, 3. XVI 27, 11.

f. *quasi.* dial. 13, 9. 32, 22. hist. IV 2, 5. ann. IV 22, 9. XI 41, 20. XIII 18, 3. 21, 14. XIV 18, 8. 59, 11. XV 15, 3. 37, 2. 50, 16.

IV. adiectivis substantivisque cum adiectivis coniunctis additae sunt coniunctiones.

a. *quamquam, quamvis.* Agr. 16, 10. 33, 4. G. 5, 13. 24, 5. 9. 27, 5. hist. I 16, 16. 26, 13. 38, 6. 44, 5. 10. II 30, 18. 42, 10. 59, 13. 68, 19. 94, 2. III 28, 4. 77, 23. 84, 10. IV 8, 20. 17, 11. 58, 16. 68, 2. ann. I 29, 1. 39, 6. 76, 10. II 57, 19. 59, 14. 67, 2. III 22, 6. 51, 5. 52, 4. 72, 6. IV 11, 10. 15, 5. 20, 18. 49, 16. VI 10 (4), 16. 36 (30), 20. XI 9, 8. XII 20, 1. XIV 4, 20. XV 35, 11. 39, 10. XVI 9, 9. 13, 11. 16, 4.

b. *ut.* dial. 19, 9. Agr. 26, 2. hist. I 7, 6. 14, 10. 18, 4. 22, 4. 27, 4. 37, 26. II 11, 7. 21, 20. 30, 9. 14. 52, 3. 57, 1. 66, 15. III 49, 5 (?). 82, 6. 84, 2. IV 80, 9. 12. ann. II 1, 4. III 32, 6.

38, 7. IV 21, 10. 34, 17. 38, 16. 55, 8. 17. VI 15 (9), 7. 37 (31), 6.

c. *tanquam.* dial. 32, 34. 35, 15. 37, 4. Agr. 16, 12. hist. I 6, 6. II 12, 9. ann. VI 30 (24) 10. XII 44, 17. XIV 41, 2. 57, 21.

d. *velut.* Agr. 46, 18. G. 43, 23. hist. I 24, 7. II 91, 6. ann. XIII 30, 5. XV 53, 12. XVI 53, 10.

e. *quasi.* hist. I 45, 9. ann. III, 46, 16. VI 3 (V 8), 5. 11 (5), 3. 17 (11), 14. XII 47, 20. XIII 27, 16. 54, 22. XV 33, 5. 45, 13. 58, 15. XVI 8, 11.

V. coniunctiones additae sunt substantivis cum praepositionibus conjunctis.

a. *quamquam.* hist. IV 2, 17 (*inter*). II 20, 5 (*in*). G. 4, 4 (*in*). ann. IV 42, 6 (*inter*). XII 56, 16 (*inter*). XIII 17, 9 (*inter*).

b. *ut.* hist. I 13, 15 (*apud*). III 59, 2 (*in*). 71, 15 (*in*). I 46, 26 (*in*).

c. *tanquam.* dial. 32, 11 (*in*). hist. I 8, 1 (*in*). 16, 29 (*cum*). 36, 7 (*in*). II 90, 1 (*apud*). 94, 16 (*in*). III 68, 7 (*in*). IV 23, 17 (*ex*). 62, 9 (*in*). ann. IV 40, 2 (*ad*).

d. *velut.* dial. 39, 15 (*in*). Agr. 10, 14 (*in*). 27 (*in*). 23, 6 (*in*). 24, 16 (*ex*). hist. III 23, 15 (*ex*). 67, 9 (*in*) V 7, 6 (*in*). II 91, 6 (*inter*). ann. IV 34, 22 (*apud*). XV 58, 2 (*in*). 63, 1 (*in*). 71, 23 (*in*).

e. *quasi.* G. 7, 6 (*in*). ann. II 68, 9 (*per*). III 70, 5 (*per*). IV 68, 21 (*ad*). V 2, 4 (*per*). VI 30 (24), 11 (*per*). XIII 18, 8 (*in*). XIV 15, 21 (*per*). XVI 25, 7 (*ex*).

tabula.

	quamquam	quasi	velut	ut	tanquam	
ad	—	1	—	—	1	2
apud	—	—	1	1	1	3
cum	—	—	—	—	1	1
ex	—	1	2	—	1	4
in	2	2	9	3	6	22
inter	4	—	1	—	—	5
per	—	5	—	—	—	5

VI. adiectiva ita usurpari possunt, ut quodammodo enuntiatorum secundariorum vice fungantur. cf. dial. 5 *qua feras, ipse securus* = cum sis securus; 8 *quod, neuter egregius, potentissimi sunt* = quamquam neuter egregius est. cf. etiam : 8, 22. 27, 5. Agr. 6, 14. 17. 18. 9, 6. 16, 21. 18, 15. 27, 4. 31, 19. 35, 15. 37, 1. 40, 4. 19. 43, 13. G. 2, 7. 6, 7. 10, 13. 29, 12. 31, 11. 46, 20. hist. I 9, 2. 26, 13. 31, 8. 46, 11. 62, 8. 64, 20. 66, 13. 67, 10. 68, 8. 70, 8. 78, 7. 83, 7. 88, 9. 89, 2. hist. II 1, 6. 15. 2, 9. 8, 15. 10, 9. 12, 8. 18, 5. 19, 11. 20, 13. 21, 3. 7. 23, 12. 22. 24. 29, 19. 40, 10. 42, 15. 44, 23. 46, 1. 48, 3. 56, 4. 57, 1. 59, 7. 9. 11. 63, 2. 12. 13. 65, 3. 68, 17. 70, 19. 71, 11. 12. 80, 13. 81, 8. 82, 12. 83, 4. 7. 84, 6. 11. 86, 9. 90, 5. 91, 5. 9. 92, 5. 92, 19. 94, 5. 12. 97, 4. 5. III 8, 17. 9, 4. 14, 6. 18, 14. 22, 4. 26, 11. 29, 11. 34, 7. 36, 7. 38, 2. 39, 9. 43, 15. 16. 46, 5. 80, 6. 10. 52, 7. 53, 3. 55, 7. 16. 56, 5. 11. 57, 5. 58, 4. 6. 62, 13. 65, 2. 4. 69, 27. 70, 22. 75, 2. IV 3, 12. 10, 4. 11, 6. 14, 1. 4. 16, 7. 19, 12. 21, 2. 23, 13. 22. 24, 4. 5. 26, 1. 29, 12. 39, 11. 16. 40, 3. 41, 10. 48, 6. 49, 3. 61, 7. 64, 21. 67, 4. 68, 39. 69, 17. 71, 2. 3. 10. 72, 11. 77, 9. 80, 4. 83, 19. 84, 2. V 3, 10. 5, 7. 17, 12. 19, 5. 6.

ann. I 3, 19. 4, 3. 6, 2. 7, 10. 11, 19. 14, 5. 20, 11. 12. 23, 3. 27, 10. 28, 3. 31, 14. 32, 11. 33, 4. 39, 4. 52, 8.

53, 10. 55, 5. 63, 8. 66, 1, 5. 68, 15. 69, 4. 74, 5. 75, 14. II 3, 4. 4, 7. 5, 5. 14, 16. 17. 23, 7. 11. 30, 13. 34, 15. 38, 18. 40, 7. 42, 13. 52, 6. 54, 14. 55, 12. 61, 7. 72, 9. 84, 3. 85, 8. 88, 13. III 1, 3. 8, 10. 11. 18, 5. 6. 21, 3. 28, 7. 30, 10. 42, 9. 43, 11. 46, 2. 48, 4. 64, 1. 67, 7. 69, 18. IV 3, 5. 6. 12, 7. 17, 7. 20, 17. 21, 13. 25, 3. 5. 27, 12. 29, 7. 31, 4. 20. 37, 3. 39, 1. 45, 3. 52, 3. 4. 53, 7. 57, 3. 58, 12. 60, 18. 71, 14. 72, 2. 74, 11. V 2, 8. VI 5, 6. 6, 2. 7, 3. 10, 15. 13, 5. 18, 5. 21, 5. 27, 2. 31, 8. 35, 14. 36, 10. 37, 4. 38, 10. XI 10, 12. 12, 4. 13, 1. 16, 13. 17, 8. 18, 6. 19, 4. 25, 12. 26, 10. 27, 2. 29, 7. ? 37, 14. XII 1, 2. 4, 9. 8, 11. 14, 11. 15, 1. 29, 15. 30, 1. 2. 31, 4. 10. 40, 21. 42, 7. 51, 9. 67, 9. XIII 1, 3. 3, 14. 6, 4. 8, 5. 13, 17. 15, 23. 19, 19. 20, 14. 23, 5. 35, 3. 44, 2. 46, 20. 47, 15. 55, 1. XIV 1, 3. 6. 3, 16. 7, 3. 23, 5. 11. 27, 11. 29, 13. 31, 1. 33, 4. 34, 7. 36, 10. 44, 9. 47, 3. 49, 17. 53, 1. 54, 6. 55, 19. XV 1, 7. 9, 12. 12, 17. 25, 8. 31, 2. 36, 8. 38, 3. 49, 8. 53, 2. 7. 54, 13. 14. 56, 5. 57, 10. 58, 12. 60, 5. 64, 4. 20. 66, 3. 7. 68, 17. XVI 6, 2. 9, 9. 10. 21, 14. 26, 11. 31, 9. 33, 2. 35, 2.

Ad hunc usum illustrandum magnus numerus exemplorum ex poetarum libris collectorum adferri potest, hoc loco sufficit nonnulla protulisse :

Verg. ecl. I 27 *libertas quae sera, tamen respexit* = quamquam sera respexit, tamen . . .

Horat. Sat. I, 1, 35 *acervo, quem struit, haud ignara nec non incauta futuri.* ibid. 42 *timidum deponere terra.* 6, 26 *privato quae minor esset* = si privatus esses. 71 *qui macro pauper agello noluit* = quamquam pauper erat. 89 *nil me poeniteat sanum* = si sanus sum. cf. II, 1, 16 *iustum* = quam sit iustus. 20 *tutus* = ita ut tutus sit. 42 *tutus* = cum tutus sim. 46 *insignis* = ut sit insignis. sim.

Certe tali adiectivorum usu liberiore sententiae cogitationesque quae enuntiatis secundariis exprimi potuerunt exprimuntur a scriptoribus breviter loquendi quadam ratione. Quinam autem huius usus fines sint, quaenam sint rationes diiudicare non possumus, nisi prius apud alios quoque scriptores adiectivorum usum examinaverimus. Hoc tamen statuere possumus apud Caesarem nullum fere locum inveniri, quem ad illustrandam hanc Taciti consuetudinem possimus adferre, apud Sallustium vero pauca tantum exstare exempla.

Quod apud poetas multa huius usus exempla inveniuntur hoc non nihil ad probandam meam sententiam valet, totam rem explicandam esse ex studio brevitatis, nam etiam ad carminum elocutionem artificosi enuntiatorum orbes non quadrant.

VII. Saepissime praeterea exprimuntur a scriptoribus, maximeque a Tacito sententiae cogitationesque, quibus enuntiata secundaria compleri potuerunt casibus substantivorum aut substantivis cum praepositionibus coniunctis cf. dial. 1 *iuvenis* = cum iuvenis essem; 7 *homo novus* = quamquam h. n. eram; 32 *quae, olim artium domina, implebat* = cum — esset. Huc referendus est liberior usus abl. causae et abl. modi, sed in hac quoque re quid Tacito sit proprium diiudicari nequit, nisi prius examinata erit aliorum quoque scriptorum consuetudo.

Haec de quibus supra dixi breviloquentiae rationes inveniuntur saepissime coniunctae et inter se et cum enuntiatis secundariis. In dialogo in quo Tacitus Ciceronem secutus etiam magis concinnitati studet, quam variandae elocutioni hunc usum nondum invenimus.

Agr. 9 *revocatus est comitante opinione Britanniam ei provinciam dari, nullis in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur.* 39 *talibus curis exercitus, quodque — erat, statuit.* 42 *non dedit, sive offensus sive ex conscientia.* Germ. 5 *nulla adfectatione sequuntur, sed quia est.* 8 *venerati sunt, non adulatione, nec tanquam facerent deas.* 40 *non per obsequium sed proeliis et periclitando tuti sunt.* hist. I 9 *egerunt, seu quia procul et Oceano divisae, seu doctae.* 68 *ipsi medio vagi, abiectis armis, pars saucii aut palantes perfugere.* II 25 *cunctator natura et cui placerent, iubebat.* 48 *movebat, placidus ore, intrepidus verbis, lacrimas coercens.* 71 *Valerium Marinum distulit, nulla offensa, sed mitem et iniuriam segniter laturum.* 80 *adloquitur, satis decorus et ostentator.* 81 *florens aetate et grata.* 86 *promptus et serendae invidiae artifex.* hist. III 43 *Paulinus, strenuus militiae et Vespasiano amicus adegerat.* 46 *mota et Dacorum gens, nunquam fida, tunc sine metu.* 55 *ipse nihil remittens et diffidentia properus festinare.* cf. 9, 13. 14. 34, 3. 4. 8. 46, 10. 11. 56, 9. 10. 58, 18. 72, 11. 83, 16. 84, 20. 21. IV 19 *postulabant non ut adsequerentur, sed causam seditioni.* 25 *vinciri iubet, magis usurpandi iuris, quam quia foret.* cf. 44, 4. 49, 1—3. 2, 18—20. 5, 13--15. 18, 15. 16. V 14, 2. 3. 16, 5. 6. ann. I 1, 11. 12. 3, 25—27. 7, 9. 10. 14, 5. 6. 23, 2. 3. 32, 10. 11. 58, 15. 62, 6. 68, 15. 16. II 4, 7. 8. 25, 14. 15. 42, 13. 85, 14. 15. III 48, 4. 63, 2. IV 12, 7. 15, 13. 28, 8. 9. 33, 4. 5. 48, 9. 10. 57, 2—4. 71, 4—5. 13. 14. VI 23 (17), 1. 2. XI 3, 1—5. 11, 7. 15, 7. 8. 20, 14. 15. 26, 3. 4. 11. 12. XII 14, 6. 39, 5—8. 54, 10. 11. 61, 5. 6. XIII 8, 3. 12, 10. 25, 11. 12. 45, 17. 46, 1. 2. XIV 1, 2. 3. 49, 16—18. 65, 2—4. XV 28, 14. 36, 7. 8. 38, 25—27. 64, 1. 2. XVI 30, 2. 3.

Ut saepissime non solum ex enuntiatis primariis sed etiam ex enuntiatis secundariis enuntiata pendent secundaria, ita etiam ex participiis, ablativis absolutis, adiectivis, similibus, quae studio breviter loquendi inservire diximus.

Hoc loco ea adferam quae de enuntiatis secundariis ex ablativis absolutis pendentibus observavi apud Caesarem et Tacitum.

Apud Caesarem pendent in primis enuntiata relativa ex ablativis absolutis, quae parti alicui ablativi absoluti describendae inserviunt atque indicantur saepissime pronomibus *is, ea, id, hic, haec, hoc,* quae in ablativo absoluto invenimus cf. b. g. I 16. III 15. 17. 22. 26. IV 18. 19. V 3. VI 1. VII 57. VIII 29. b. c. I 24 (*his*) 66. II 17. 18. III 9. 13 (*his*).

Etiam si talia pronomina in ablativo absoluto non inveniuntur habemus enuntiata relativa: b. g. II 8. III 12. 21. IV 10. 24. VII 36. 61. 77. VIII 12. 20. 37. 45. b. c. I 60. II 22. III 18. 28. 40.

Enuntiata causalia pendent apud Caesarem his locis ex partibus ablativi absoluti: b. g. IV 12. VI 12. VII 47. 68. b. c. III 65.

Enuntiatum secundarium interrogationis indirectae hoc loco: b. g. VII 89.

Enuntiatum secundarium consecutivum: b. g. VII 17. b. c. III 30.

Enuntiatum secundarium finale: b. g. V 7. VI 9. VII 12. 35. 41. 57. 61. 81. b. c. I 78. III. 9. 10.

Apud Tacitum.

a. enuntiata finalia: Agr. 2 bis 14. 26. 29. 37. G. 3. hist. II 15. 24. 33. 34. 39. 53. 57 bis 96. III 4. 69. IV 24. 28. 35. 62. 66. 70. 71. V 9. 12. 17. ann. I 14. 15. 61. 79. II 11. 57. III 2. 8. 17. 45. 67. 74. IV 5. 14. 30. 54. 59. 74. V 2. VI 19.

27. 31. XII 40. 45. XIII 25. 34. XIV 7. 23. 60. XV 4. 12. 15. 40. 43. XVI 2. 3. 4. 5. 33.

habemus igitur apud Tacitum septuaginta fere exempla, contra apud Caesarem undecim tantum quorum praesertim sex uno libro continentur.

b. enuntiata consecutiva: Agr. 14. hist. II 67. III 56. ann. IV 2. XI, 2. XII 33. XIII 17. 22. 35. XIV 5. XV. 6. 64.

c. interrogatio indirecta: Agr. 18. hist. II. 23. 42. III 26. IV 17. ann. I 48. 62. 72. IV 62. XI 9. XII 1. 17. XVI 31.

d. enuntiata causalia. Agr. 22. hist. I 31. 82. 87. III 4. ann. I 55. II 64. III 56. 67. XII 27. 31. 46. XIII. 12. 15. 45. XIV 37. 45. XVI 17.

e. enuntiata relativa.

Exempla ex omnibus libris collecta praesto non sunt, tamen rem ita instituam ut ratio cognosci possit quae in hac re intercedit inter Caesarem et Tacitum. In omnibus enim Caesaris libris, quibus, si Teubnerianam sequimur editionem, complentur paginae circiter trecentae sedecim, habemus triginta quinque exempla; apud Tacitum vero res sic se habet:

ann. I 2. 5. 8. 16. 20. 23 bis 38. 53. 55. 61. 77. [40 pgg.]

ann. II 1. 4. 17. 18. 66. 74. 75. 79. [36 pgg.]

ann. III 32. 38 bis 41. 42. 48. 52. 67. [33 pgg.]

ann. IV 5. 12. 20. 46. 52. 71. [34 pgg.]

ann. XI 3. 5. 6. 9 bis 10 bis 16. 18. 25. 33. 35. 37. [17 pgg.]

ann. XII 12. 15. 25. 31. 32. 33. 35 bis 54. 63. 64. 65. [27 pgg.]

ann. XIII 1. 6. 13. 15. 17. 21. 39. 40. 48. 54 bis. [26 pgg.]



ann. XIV 5. 12. 16. 17. 27. 31. 32. 43. 47. 49. [28 pgg.]

ann. XV 2. 8. 10. 11 bis 25. 26. 27. 34. 42. 45. 48. 51. 66. [32 pgg.]

videmus hunc usum et multo frequentiorem esse apud Tacitum quam apud Caesarem et in posterioribus annalium libris saepius inveniri, quam in prioribus.

B. altera causa qua factum est, ut enuntiatorum secundariorum usus apud Tacitum non ita frequens sit, quam apud alios scriptores, posita est in eo quod Tacitus saepissime enuntiata, quae subordinari poterant, coordinavit, et rationem paratacticam praetulit rationi hypotacticae.

Hanc vero rem hoc loco tractare nolo, nonnulla tamen quae mihi occurrerunt prolaturus sum.

In ratione causali exprimenda uti potest scriptor aut iis coniunctionibus quibus actio secundaria subordinatur actioni cuidam primariae, aut iis quibus enuntiata coordinantur, *nam, enim* sim. summa vero difficultas in tractandis talibus rebus eo oritur quod scriptores maximeque Tacitus non solum enuntiata primaria habent causalia pro enuntiatis causalibus secundariis sed aut asyndeto frequenter utuntur, aut enuntiata inter quae ratio causalis intercedit copulative tantum coniungunt. cf. Draeger p. 44.

Huius usus exempla proferam nonnulla.

Agr. 27 *iniquissima haec bellorum condicio est. prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur* = nam prospera etc. vel: cum enim — vindicent, imputantur.

Germ. 19, 15 *plusque* = plus enim. (hist. I, 1.)

Ex antiquorum rhetorum libris satis notum est asyndeto elocutionem fieri efficaciorem. Si autem linguam latinam comparamus cum lingua graeca, alteram fortasse statuere possumus utilitatem, quam scriptores romani ex frequenti usu asyndeti duxerunt. lingua enim latina non

eam copiam habet coniunctionum, quibus leni coniunctione orationis membra copulantur (ut ex. gr. apud Graecos μὲν — δὲ) sed propriae et innatae, ut ita dicam, singularum particularum notiones nimis praevalent, ut liberior usus apud scriptores optimae aetatis sit rarior. Qua de causa factum est, ut aut habeamus frequentem usum asyndeti, aut rationes transitus faciendi minus sint variae. Illud alterum apud Sallustium maxime observare possumus. magnum enim enuntiatorum numerum coniungit particula *sed* cf. Cat. 1, 2. 5. 2, 8. 3, 3. 6, 3. 7, 1. 6. 8, 1. 3. 10, 1. 11, 1. 4. 13, 3. 4. 14, 5. 7. 16, 1. 17, 6. 18, 1. 19, 3. 20, 3. 5. 23, 1. 4. 6. 25, 1. 3. 26, 1. 30, 5. 31, 7. 32, 2. 36, 1. 41, 1. 44, 1. 48, 5. 49, 1. 4. 50, 4. 5. 51, 10. 21. 33. 35. 39. 40. 52, 5. 9. 21. 24. 28. 53, 2. 56, 3. 4. 57, 1. 5. 58, 3. 60, 1. 61, 1.

Iug. 1, 3. 5, 3. 7, 3. 8, 2. 9, 4. 11, 2. 12, 3. 13, 4. 7. 14, 4. 17, 2. 7. 18, 3. 11. 21, 2. 4. 24, 10. 25, 2. 27, 3. 28, 6. 29, 3. 6. 30, 4. 31, 4. 8. 15. 36, 3. 38, 6. 39, 1. 40, 3. 5. 41, 3. 42, 3. 4. 44, 1. 5. 45, 1. 50, 1. 51, 5. 55, 5. 57, 6. 60, 3. 63, 3. 66, 3. 71, 1. 73, 7. 74, 2. 76, 1. 77, 1. 79, 1. 8. 84, 4. 85, 2. 26. 28. 87, 1. 88, 2. 89, 1. 3. 91, 4. 92, 3. 7. 94, 1. 4. 95, 3. 98, 7. 101, 2. 102, 9. 105, 3. 108, 3. 109, 4. 113, 1. 3. 114, 3. totidem fere habemus *itaque, igitur, ita*. totidem *atque, vel, at*. Ex his satis intellegi potest elocutionem Sallustianam varietatis laude carere, quamquam hoc quoque concedendum est, in posterioribus belli Iugurthini partibus particularum usum fieri magis varium, saepe enim invenimus *ceterum, interim, interea* sim.

Apud Tacitum habemus maxime in iis partibus librorum quibus res describuntur frequentem asyndeti usum, cf. Germaniam et hist. I 1—12 in transitu faciendo nullas habemus particulas, quarum usus sic praevalet, ut apud Sallustium particulae *sed, igitur,* quaedam tamen locutio-

nes ita saepe occurrunt, ut consuetudinem agnoscas cf. *mox, inter quae, hinc, inde* (saepius cum elipsi verbi finiti) *fuere qui, erant qui,* similia.

Sed revertur nunc ad parataxin.

Ratio consecutiva exprimitur interdum non enuntiato secundario consecutivo, sed duobus enuntiatis primariis ita collocatis ut enuntiatum quod secundarium esse debuit primo loco positum sit, alterum vero secundo loco sequatur quasi quaedam exclamatio, cf. hist. I, 9 *ne quieto quidem milite regimen; adeo accendebantur.* ibidem 37. II 91. IV 39. 80. ann. I 50.

Magno denique numero enuntiatorum quae a particula *ut* incipiunt et narrationi inserta sunt, ex. gr. *ut est mos vulgi, ut notum est,* demonstratur Tacitum facile sententias et cogitationes non tam ratione hypotactica quam ratione paratactica coniungere. Exempla omnia enumerare necessarium non est, sufficit cognovisse, quid talia enuntiata valeant in enuntiatorum compenendorum apud Tacitum ratione.

Restat nunc ut adferam locos nonnullos in quibus ratio paratactica quodam modo coniuncta est cum hypotactica. hist. II 17 *aperuerat iam Italiam bellum, quod transmiserat ala Siliana, nullo apud quemquam Othonis favore, nec quia Vitellium mallent, sed longa pax fregerat faciles occupantibus et melioribus incuriosos.* ibid. 45 1—3. ibid. I 39 *agitasse dicitur, sive ut mulceret, seu — credebat.* ibid. I 76 *manebat, non partium studio, sed erat.* 85, 18—21. 36, 6—11.

Particula altera.

Hac parte dissertationis duo mihi proposita sunt. Ac primum quidem meam, qualiscunque est, sententiam de consecutione temporum exponam secundum quam totius rei cardo in eo temporum usu vertitur, quem recentiores grammatici *Relativität der Tempora* appellaverunt, deinde peculiarem Taciti aliorumque scriptorum historicorum usum tractabo meamque explicationem ad exempla ex illorum operibus collecta adhibebo, quo in genere non vereor ne quis me reprehensurus sit, si notissimos grammaticorum libros afferre necessarium non duxero . quippe qui unicuique semper praesto sint.

Priusquam autem ad singula perveniam nonnulla dicenda sunt de duabus commentationibus, quas Lieven et Wetzel scripserunt de consecutione temporum Ciceroniana *).

Lieven dicit p. 1: *Unter* consecutio temporum *im weiteren Sinne versteht man die Beeinflussung des Tempus im conjunktivischen Nebensatze durch das Verbum des Hauptsatzes.* non dixit quid sit illud quod ipse *Beeinflussung* appellat, non quanam in re consecutio temporum causam suam habeat quidque sit consecutio temporum sensu latiore accipienda.

Contra Wetzel p. 6 haec dicit: *quare hoc exemplis satis multis demonstrare institui singulorum temporum vim atque significationem eandem esse, tam in indicativo quam*

*) Lieven: Die consecut. temp. des Cicero. Riga 1872. — Wetzel: de consecutione temporum Ciceroniana cap. duo. Lipsiae 1877.

in coniunctivo, ita, ut, cur quodque tempus positum esset, non ex certa stabilique consecutione, sed ex genuina cuiusque vi intellegi deberet, utque nulla esset, si accurate diceremus, temporum consecutio. his verbis Wetzel nihil aliud dicit, nisi tempus enuntiati secundarii eligi non pro tempore enuntiati primarii, sed pro natura ipsius actionis secundariae et ea de causa, cerni illud quod grammatici consecutionem temporum vocant non tantum in enuntiatis secundariis quae coniunctivum praebent, sed etiam in iis quae indicativum exhibent. Tota igitur de temporum consecutione doctrina nihil aliud est nisi doctrina de variis temporum rationibus, quae pro natura uniuscuiusque enuntiatorum generis intercedere possunt inter actionem primariam et secundariam.

His rebus expositis ad singula perveniamus.

I in enuntiatis secundariis consecutivis et interrogationis indirectae habemus coniunctivum perfecti antecedente in enuntiato primario tempore historico.

Cic. pro Balbo 2 legimus *quanta fuerit hesterno die Cic. Pompei gravitae in dicendo, indices, quae facultas, quae copia, non opinione tacita vestrorum animorum, sed perspicua admiratione declarari videbatur.* adhaec Ciceronis verba adfert Wetzel p. 16 Buechneri adnotationem, qui sic disputat: *alia est loci sententia ubi „esset", alia ubi „fuerit" scripseris, illud significat indices ipsos perpetua sua admiratione patefecisse, quid de Pompei eloquentia indicarent quantive eum facerent, at id quidem orator dictionis non est; immo indicum illa admiratione utitur tanquam testimonio quo doceat audientes, quae fuerit Pompei in dicendo gravitas; suum igitur ipsius non indicum proponit indicium* ipse Wetzel his haec addit: *potest igitur is, qui loquitur id quod e subiecti primarii mente dici deberet, pro sua cogitatione exprimere ita, ut id tempus ponat, quo si recta esset interrogatio uteretur.* Quamquam Buechner et

Wetzel ad hanc difficultatem solvendam rectam ingressi sunt viam, tamen vereor nimis angustis finibus hunc usum circumscribant. Si enim legimus Tacit. hist. II 41 *incertum fuit utrum — coeptaverint* vel ann. I 76 *cur abstinuerit spectaculo varie trahebant* nullam cogitationem agnoscere possum dicenti propriam, subiecto enuntiati primarii quodammodo oppositam, huc accedit quod exempla inveniuntur ita comparata, ut talis oppositio inter subiectum enuntiati primarii et secundarii omnino adesse non possit quodque hac via coniunctivum perfecti enuntiatorum consecutivorum explicare non possumus.

Tota res mihi ad discrimen quoddam inter relativam et absolutam duarum actionum rationem revocanda esse videtur. Quod qua ratione sit accipiendum ut melius perspiciatur examinemus breviter quo modo linguae latinae ingenium sibi finxerit rationes inter actionem primariam et secundariam in enuntiatis finalibus, consecutivis, interrogatione indirecta.

Si interrogationem directam *quid est pulcrum?* pendentem reddimus ex verbo quodam interrogandi temporis perfecti, duplici modo hoc fieri potest, aut ratione relativa h. e eo quod actionem secundariam quatenus ad tempus referimus ad verbum enuntiati primarii dicimusque: *quaesivit, quid esset pulcrum* aut ratione absoluta dicentes: *quaesivit, quid sit* ita, actio secundaria propriam suam vim notionemque retineat temporalem et coniunctivo tantum indicetur hanc actionem alteri esse subordinatam nec omnibus ex partibus sui iuris esse.

Simili ratione res se habet si in enuntiato secundario perfectum habemus; nemo negabit in exemplo, quod supra iam adtuli : *incertum fuit an coeptaverint* actionem secundariam magis absolutam magisque sui iuris esse, quam si Tacitus plusquamperfecto usus esset. Si vero enuntiatum secundarium interrogationis indirectae ex actione primaria

quae praesentis est temporis pendet, habemus aut rationem temporum relativam, si etiam actio secundaria praesentis est temporis cf. dial. 1 *saepe requiris, cur retineat.* Aut absolutam, si actio secundaria praeteriti temporis est, nam duae actiones quae non eodem temporis vinculo continentur non nisi ratione absoluta coniungi possunt: cf. Agr. 31. G. 5. 28. 25. hist. I 4. 69. II 39. 73. 100. III 71. IV 49. 60. 73. ann. II 71. III 12. 53. IV 1. 37. 40. XIV 54. in his quoque exemplis habemus rationem temporum absolutam: a) futurum I — praes. hist. I 38 *certamen erit, quis imputet.* b) futurum I — perf. hist. IV 67 *quibus artibus traduxerit, reddemus.* ann. I 58 *quo ludibrio conflictatus sit, memorabo.* XIII 20 *quae diversa prodiderint, trademus.*

In enuntiatis finalibus res sic se habere videtur. Enuntiatum secundarium finale continet, ut ex ipso nomine satis apparet, finem actionis primariae. Finis autem actionis cuiusdam duplici ratione coniungi potest cum actione cuius finis est, aut ratione relativa ita, ut fingatur actionem illam per omnia temporis momenta subsequens, aut absoluta ita, ut praeter consilium agentis elucescat actionis eventus.

Ipsum autem illud discrimen inter absolutam et relativam temporum rationem ea de causa nondum satis observatum est in enuntiatis finalibus, quod eodem modo ut in interrogatione indirecta, si utraque actio temporis praesentis est, diiudicari nequit utrum actiones relativa ratione sint coniuncta an absoluta, coniunctivus vero praesentis qui sequitur perfectum enuntiati primarii ita explicari solet, ut dicatur perfectum illud enuntiati primarii vim praesentis habere, non praeteriti, qua de doctrina infra disputabimus.

In enuntiatis igitur finalibus habemus discrimen inter

relativam et absolutam temporum rationem in hunc fere modum expressum:

a) ratio relativa. α) praes. — praes.
β) perf. imperf. plusq. — imperf.

b) ratio absoluta. α) perf. imperf. plusq. — praes.
β) futurum — praes.

Restant enuntiata consecutiva, quorum rationes inter actionem primariam et secundariam hae sunt:

a) ratio relativa. α) praes. — praes.
β) perf. imperf. plusq. — imperf.

b) ratio absoluta. α) praes. — perf. (hist. I 42,5 84, 21.)
β) perf. imperf. plusq. — perf.
γ) perf. — praes. (hist. I 16, 3. ann. XIV 53, 6. 16. XV 41, 14.)

Sed adferamus nunc exempla coniunctivi perfecti:

a) in interrogatione indirecta.

dial. 8, 10. 33, 7. si lectionem Schurzfleischii sequimur. hist. II 41, 6. III 84, 31. IV 86, 6. ann. I 76, 11 VI 51 (45) 13.

b) in enuntiatis consecutivis.

Agr. 18, 25. 20, 12. hist. I 3, 2. 24, 11. 55, 7. 60, 10. 66, 18. II 74, 4. III 51, 4. 69, 26. IV 33, 6. 77, 5. V 20, 2. ann. I 3, 19. 18, 4. 56, 11. 80, 11. II 81, 5.

84, 4. III 21, 7. IV 15, 9. 36, 3. 51, 14. V 1, 9. XI 5, 7. 24, 21. XIII 16, 17. 39, 22. 41, 25. XIV 12, 3. 47, 5. XV 16, 2. (in hoc exemplo perfecti coniunctivus coniunctus est cum imperfecti coniunctivo.) Videmus igitur Tacitum in interrogationibus indirectis raro tantum usum esse coniunctivo perfecti, contra in enuntiatis consecutivis saepius. In Agricola et in libris historiarum prioribus habemus, uno excepto exemplo, coniunctivum perfecti non nisi omissis in enuntiato primario formis verbi *esse*. quamquam autem Woelflini doctrinam de elocutione Tacitina gradatim per singulos libros exculta valde probo, tamen hanc rem huc non referam, quia tales res non semper in eo causam habent, quod Taciti elocutio gradatim perfecta est et exculta, sed saepissime etiam in eo quod Tacitus ita ingenio suo indulsit, ut singulis structuris in his libris quodammodo abutatur, in illis plane eas omittat. Restat nunc ut aliorum quoque scriptorum usum coniunctivi perfecti examinemus.

a. apud Caesarem. b. g. II 21, 4. III 15, 3. V 15, 1. 54, 3. VII 17, 3. (in hoc exemplo habemus coniunctivum perfecti coniunctum cum coniunctivo imperfecti ut supra apud Tacitum ann. XV 16, 2.) bell. hisp. 15, 3. 23, 8. bell. alex. 43, 3.

b. apud Sallustium. Iug. 79, 5. 88, 6. or. 5, § 11. haec exempla coni. perfecti omnia sunt in interrogationibus indirectis, quorum tamen verbum primarium a grammaticis vulgo habetur pro logico perfecto.

c. apud Velleium.

in enunt. consecutivis.

α) in enuntiato primario est indicativus perfecti. I 13, 1 (18, 1). II 30, 6. 66, 4. 90, 3. 103, 5.

β) enuntiatum secundarium pendet ex accusativo cum infinitivo perfecti: II 99, 4.

γ) duo tempora coniuncta sunt in enuntiato secundario:

1) perfectum et imperfectum: I 9, 1.

2) perfectum et praesens: I 18, 1 *floruit adeo, ut separata sint, existimes* quo in exemplo notio temporalis participii *separata* ita evanuit, ut perfectum illud compositum prope accedat ad significationem praesentis; ad alterum membrum cf. II 128, 4 *eo perduxit, ut advocet.*

in interrogatione indirecta.

α) in enunt. pr. est indicat. perfecti.
II 82, 2.

β) indicat. imperfecti.
I 3, 1.

γ)
I 15, 5 (*mandaverim*).

II. Quoniam omnibus fere in libris grammaticis legimus nulla nisi eiusdem generis tempora coniungi inter se posse, unum quodque perfectum enuntiatorum secundariorum pro logico perfecto habendum esse videtur, si in enuntiato primario antecedat vel praesens, vel futurum. Quod verum non est, quia saepissime in enuntiatis secundariis, antecedente in enuntiato primario praesenti, perfecta invenimus quae nullo modo pro logicis haberi possunt.

a. apud Tacitum.

α) in enuntiat. consecutivis.
hist. I 42 *huc potius eius vita famaque inclinat, ut conscius fuerit sceleris, cuius causa erat.*

β) in interrogatione indirecta.

1) in enunt. primario antecedit perfectum, quod pro logico accipi potest: Agr. 11, 1. hist. II 42, 4 (in utroque exemplo: *compertum*). ann. I 5, 14 (*compertum est*).

2) in enuntiato primario antecedit praesens.
Germ. 28, 11. hist. I 4, 4. 42, 2. 69, 2. II 39, 13. 73, 2. 100, 18. III 71, 17. IV 12, 5. 49, 3. 4. 60, 16. ann. IV 1, 7. XII 24, 2. XV 54, 2 (in hoc exemplo habemus perfectum et praesens in enunt. prim.).
3) in enunt. prim. est futurum.
hist. IV 67, 9. ann. I 58, 25.
4) alia exempla, quae coniunctivum perfecti praebent, quorum tamen actio secundaria non ab ipsa actione primaria pendet, haec sunt:
hist. I 16, 24. 25. 37, 1. 42, 2 (?). ann. II 73.

b. apud Caesarem.
b. g. VI 31. *Ambiorix iudicione non conduxerit, an exclusus dubium est.*

c. apud Sallustium.
α) in interrogatione indirecta.
Cat. 5, 9. 6, 2. 7, 3. 51, 4. 58. 5. Iug. 17, 7. 24, 7. 40, 3. 67, 3.
β) in enunt. consecutivis.
or. Lepidi § 19.

d. apud Velleium.
α) in enunt. consecutivis. II 27, 5. 120, 3.
β) in interrogatione indirecta.
1) ind. praesentis habemus in enunt. primario: II 21, 2. 27, 5. 41, 1. 89, 1. 97, 2. 115, 1. 122, 1. 124, 1.
2) coniunct. praes. II 85, 6. 86, 1. 99, 3.
3) futurum: II 48, 4.

Vidimus coniunctivum perfecti multis locis pro logico accipi non posse, ut ex grammaticorum regulis statuendum erat. Omnia autem illa exempla facillime explicantur, si singula temporum genera non ita secernimus ut grammatici

faciunt, sed statuimus actionem secundariam, quae praeteriti est temporis, coniungi posse cum actione primaria quae temporis est praesentis si non ratione temporum relativa, at certe absoluta ita, ut coniunctivo exprimatur perfecti.

III. de perfecto logico.

Perfecto logico grammatici quasi quodam deo ex machina utuntur ad explicandum coniunctivum praesentis in enuntiatis secundariis ex perfectis pendentibus. Lieven hunc usum ea ratione explicat, ut propriam perfecti naturam integram servari dicat. Nam si in enuntiato secundario coniunctivus praesentis sequatur perfectum, illud enuntiatum secundarium pendere non ex perfecto enuntiati primarii putat, sed ex praesenti quodam quod omissum subaudiendum quodammodo sit sub verbo regenti, ex. gr. *audivi, quid sit* = audivi scioque quid sit. Sed hac artificiosissima explicandi ratione opus non est, cum etiam in hac re speciem quandam rationis temporum habeamus absolutae, nam coniuncta est actio praeteriti temporis cum actione temporis praesentis.

Exempla Tacitea haec sunt: hist. I 15, 7. IV 66, 10. V 5, 9 *genitalia circumcidere instituerunt, ut noscantur*. h. e. is qui hunc usum olim instituit voluit, ut non suo tantum tempore sed omni tempore noscerentur; rationem temporum relativam habemus in exemplo Caesaris huic nostro simillimo; b. g. III 1, 10 *atque in eum se consuetudinem adduxerunt, ut — haberent, lavarentur.* cf. Tac. ann. XIV 64 *memoravimus, ut habeant* et ann. II 32 *retuli, ut sciretur.* — alia exempla sunt: hist. I 16, 3. ann. XIV 53, 6. 17. XV 41, 12.

Apud Caesarem unum tantum exemplum inveni, quod tamen maxime idoneum sit ad probandam sententiam meam, legimus enim b. c. III 20 *ne frustra ingressus*

turpem causam videretur, legem promulgavit, ut — solvantur. Videmus praesens enuntiati secundarii explicandum esse propria quadam actionis secundariae natura temporali, nam ex eodem verbo regenti pendet etiam enuntiatum cum coniunctivo imperfecti.

Ex Sallustio huc referendum est: Jug. 24 *invasit, ut habeat.* or. Lepidi § 8. or. Philippi § 19.

Restat nunc ut nonnulla dicam de perfectis compositis. Si apud eundem scriptorem legimus *compertum est* et *compertum habeo* illud *compertum est* prope ad praesentis notionem accedit, huius autem rei causam non tam in singulari quadam et propria perfecti natura positam esse puto, quam in participio, cuius insita significatio temporis evanuit quodque adiectivi fere vim habet. Tamen cavendum est ne hac explicandi ratione ita abutamur, ut nimio omnia aequandi studio pulcherrima illa linguae in ratione temporali exprimenda varietas deleatur, quod E. Hoffmann fecisse videtur, cui ad solvendas difficultates grammaticas non solum perfectum necessarium erat logicum sed etiam plusquamperfectum. dicit enim Zeitpart. p. 15. *Cäsar — nicht so auch Sallust und Livius hat in solchen Fällen* (si utitur plusquamperfecto logico) *erat als Copula meist dem Particip vorangestellt. Die umgekehrte Stellung findet sich zwar auch, doch dürfte sich schwerlich ein Fall finden, wo bei aoristischer Natur das Hülfsverbum dem Particip vorangestellt wird.* Hanc observationem quatenus recta est et vera ita cum nostra sententia coniungere possumus, ut dicamus multo facilius fieri, ut participia in temporibus compositis ad naturam adiectivorum accedant, si eo quod copula antecedit forma temporis non ita una est et integra, quam si copula participium sequitur, praesertim si, quod saepe fit, copula a participio uno vel nonnullis vocabulis est segregata.

Hoffmanni observatio si recta est, valere debet etiam in perfectis compositis, quod probari nequit. Habemus enim saepissime etiamsi copula antecedit in enuntiato secundario imperfecta, quibus indicatur tempus in enuntiato primario habendum esse pro praeterito cf. b. g. II 27. III 29. VI 37. VII 30. b. c. I 7. II 13. III 37. 112 bis. Praeterea invenimus saepe copulam antecedentem in perfectis compositis, quae pro perf. logicis haberi non possunt. b. g. V 21 *multique in fuga sunt comprehensi atque interfecti.* VII 17 *nulla vox est ab iis audita.* 25 *nec primus ille est a propugnatoribus vacuus relictus locus, quam finis pugnandi est factus.* 28 *pars ab equitibus est interfecta* cf. etiam VII 62. b. c. III 22, 99, 112; contra autem b. c. III 109, 5 *alter interfectus est.* VII 51 *eo die milites sunt paullo minus septingenti desiderati.* cf. b. c. I 51 quo in exemplo habemus: *desiderati sunt.* VII 57 *summa imperii traditur Camulogeno, qui . . ad eum est honorem evocatus.* b. c. I 46 *facilis est nostris receptus datus.* 82 *sed eisdem de causis quae sunt cognitae quominus — vellet, movebatur.* II 15 *Trebonius ea quae sunt amissa reficere instituit.* 17 *cognitis iis rebus, quae sunt in Italia gestae.* 18 *cognitis iis rebus, quae sunt gestae parabant.* ibid. *navibus comparatis Massilienses, ut est imperatum, arma proferunt,* contra cap. 25 *et quo imperatum est transeunt.* III 7 *sed neque illi sibi confisi ex portu prodire sunt ausi.* 34 *parare incipit paucisque post diebus est profectus.* 51 *cuius adventu facile sunt repulsi Pompeiani.* 67 *hic paulisper est pugnatum.* 68 *ignorantia loci sunt secutae.* 69 *cernebatur omniaque sunt subito mutata.* 91 *praecucurrit atque eum electi milites sunt prosecuti.*

Praeterea habemus *demonstratum est* b. c. I 38. 39. 48. 56. II 28. 34. 42. III 6, contra *est demonstratum* uno tantum loco b. c. I 81. In minoribus quoque libris invenimus perfectum compositum ita usurpatum, ut quamquam

copula antecedit, tamen pro historico sit habendum: b. alex. 15, 7. 76, 3. saepius. b. afr. 2, 4. 23, 1. 24, 3. 30, 1. 50, 5. saepius. bell. hisp. 9, 4. 5. 12, 4. 13, 1. 14, 2. 16, 1. 18, 8. 20, 3. 5. 22, 2. 23, 8. 35, 4. 36, 5.

Huc accedit quod Caesar non solum in perfecto et plusquamperfecto formas verbi substantivi antecedentes neddit participio sed etiam in infintivo, quodque adiectivis quoque verbum substantivum libenter anteposuit. Neque verbum *esse* tantum ita collocare adamavit, sed etiam *posse* et similia; exempla nonnulla adferam: b. c. I 17 *in periculum esse venturum.* 50 *atque erat difficile.* b. g. VI 10 *fit ab Ubiis certior.* V 25 *locum hibernis esse munitum.* b. c. II 19 *esse praesto Cordubae.* III 10 *esse dimissum.* 63 *posset resisti.* 87 *fuit necesse.* 99 *fuit falsum.* b. g. VII 35 *esset in conspectu.* VIII 55 *erat dubium.* Etiam b. g. V 23 *invenit refectas* similitudinem quandam cum his quae modo enumerari exemplis habet.

Videmus igitur Caesarem adamasse verbum *esse* et similia eis vocabulis quibuscum coniuncta sunt neddere antecedentia, hunc autem usum fere non habemus apud Sallustium et in hoc causa posita est cur Hoffmann eandem observationem, quam de logico temporum compositorum usu apud Caesarem instituit, apud Sallustium facere non potuerit.

Cum in iis quae antecedunt dixerim participium in temporibus compositis facile ad naturam adiectivorum accedere, exempla nonnulla adferam in quibus ex adiectivis, quae addita sunt velut transitum ad hunc liberiorem participiorum usum agnoscimus cf. b. g. VII 22 *notum atque usitatum est.* b. c. III 40 *quae erant deligatae et inanes.* 43 *erant editi atque asperi colles.* cf. etiam b. g. VII 55 *erat oppidum positum.* b. c. III 9 *est autem oppidum .... munitum* in quibus participium vim temporalem totam iam amisit etiamsi adiectiva non adposita sunt.

Capite antecedenti ea tantum protuli exempla quorum perfectum non potuit non pro historico, accipi nunc quoniam demonstravisse me puto omne perfectum natura sua esse historicum reliqua exempla proferam necesse est quae supra omisi: Agr. 31, 21. Germ. 5, 7. hist. I 37, 1. IV 73, 13. ann. II 71, 9. III 12, 13–15. IV 37, 9. 40, 32.

IV. de praesenti historico.

In tractanda temporum consecutione enuntiatorum ex praesenti historico pendentium ante omnia tenendum est totam hanc rem non ad grammaticas et logicas revocari posse regulas, sed rhetoricis ut ita dicam et psychologicis illustrandam esse rationibus; quaestio enim non in eo versatur utrum praeteritorum an praesentium habeat consecutionem sed in eo, quibus sub condicionibus unus alterve scriptor in secundario quoque enuntiato utatur praesenti historico.

Quas rationes Cicero in hac re sit secutus, investigare studuerunt Lieven [1]) et Motschmann [2]). Hic dicit enuntiatum secundarium, si positum sit post actionem primariam, praesentis habere consecutionem, sin vero antecedat, praeteriti. Similes observationes de usu et consuetudine Caesaris protulit Arnoldus Hug [3]), qui etiam ea enuntiata secundaria quae indicativum praebent tractavit. De eadem re egit nuper Heynacher [4]), cui suas rursus opposuit sententias idem, de quo supra dictum est, Arnoldus Hug [5]).

---

[1]) l. c. p. 6.

[2]) *doctrinam de temporum consecutione apud Ciceronem quam nuper exposuit Lieven exemplis ex orationibus Ciceronis depromptis veram esse demonstratur.* Jenae 1875, p. 9.

[3]) annal. phil. LXXXI p. 877 sqq.

[4]) Heynacher *Was ergiebt sich aus dem Sprachgebrauch Cäsars im bellum Gallicum?* 1881 p. 46—51.

[5]) annal. phil. CXXV p. 281—286.

Supervacaneum est hoc loco quae alii iam dixerunt iterum proferre, tamen id intellegimus ex sententiis Hugii et Heynacheri contrariis talem rem quae tota penes uniuscuiusque scriptoris ingenium est ita ad certas regulas revocari non posse ut omnes loci explicentur. Nemo erit, qui neget multum in hac re interesse utrum enuntiatum secundarium actionem primariam sequatur an antecedat, sed hoc quoque multum valet utrum verbum secundarium longe an prope absit a verbo primario. Facilius denique sequitur coniunctivus praesentis in enuntiato secundario si totius capitis narratio valde concitata est et alacris, cf. b. g. VII 70, cui capiti septendecim insunt praesentia historica; huc referendum est etiam si in enuntiato primario duo praesentia sunt, aut enuntiatum secundarium inter duo praesentia historica est interpositum et similia. Duo praesentia hist. habemus in enunt. prim. b. g. I 8. 9. 19. 20. V 20. 22 bis. 31. 38. VI 9. 10. 37. 39. 40. VII 4. 37. 38. 39. 40. 42. b. c. I 17. 19. 21. 22. 26. 32. II 12. 15. 20. 32. 40. 43. III 82.

Quamquam haec omnia satis iam valent ad explicandum usum praesentis historici, tamen observationes nonnullas prolaturus sum, quibus quae alii iam dixerunt fortasse suppleri possunt.

In enuntiatis finalibus et iis enuntiatorum generibus quae his sunt cognatione quadam coniuncta, praeter enuntiati secundarii collocationem et fortasse ad collocationem valuisse videtur etiam notio significatioque verbi regentis; habemus enim post verba imperandi, quia subitum voluntatis impetum, si in praesenti historico sunt, concitatam voluntatis declarationem exprimunt, duobus locis exceptis coniunctivum praesentis b. g. III 11, 2. IV 21, 2. 8. V 11, 4. 22, 1. 5. 34, 3. 37, 1. 58, 4 (?). VI 5, 2. 7, 8. 10, 2. 3. VII 1, 5. 8, 3. 21, 2. 31, 4. 40, 4. 42, 4. 78, 1. b. c. I 30, 1. 32, 7. 54, 1. 76, 2, 4. II 40, 2.

III 15, 7. — imperfectum habemus b. g. V 1, 1 quod ex loci natura explicari potest. Contra post verba agendi praevalet coniunctivi imperfecti usus, cf. b. g. I 5, 3. 9, 2. 13, 1. IV 11, 6. VI 29, 2. VII 11, 3. 45, 3. 7. 76, 3. b. c. I 17, 3. 32, 1. 40, 5. 61, 2. 70, 4. 73, 3. II 10, 5. 6. 25, 3. 39, 6. III 8, 1. 15, 7. 19, 2. 109, 6.

Post verba mittendi habemus saepe imperfecta, sed etiam praesentia non raro inveniuntur, quia verba mittendi, si coniuncta sunt cum enuntiatis secundariis finalibus prope accedunt ad notionem verborum imperandi. cf. b. g. I 15, 1. II 17, 1. V 1, 7. (36, 1.) 46, 3. b. c. I 17, 1. 66, 3. II 26, 3. III 80, 3. cf. etiam b. g. II 2, 3 *dat negotium, ut cognoscant.* V 1, 9 *arbitros dat, qui aestument.* 11, 4 *Labieno scribit, ut instituat.*

Post verba adhortandi petendi monendi: a) praesens. b. g. I 5. 19. 20 bis. II 5. III 18. IV 21. V 20. 31. 38. 45. 48 quater. 49. VI 9. 29. 33. 37. VII 4 bis. 8. 9. 10. (37.) 38 bis. 39. 45. 63 bis. 86. b. c. I 9. 17. 19. 21. 22. 32. 60. 74. 76. II 12. 33. 41. 42. 43 bis. III 82. b) imperfectum. b. g. I 3. III 5. 8. b. c. I 18, 26.

In interrogatione indirecta res sic se habet: a) praesens. b. g. I 20. 21. II 5. III 18. 26. V 48. 49. VI 7. 10. 37. 39. VII 19. 37. 45 bis. 83 bis. 85. 87. b. c. II 20. b) imperfectum. b. g. IV 14. V 47. VI 29. 37. VII 15. 38. b. c. II 19. c) perfectum. (ratio temporum absoluta.) b. g. I 19. V 52. VII 41. b. c. II 32.

In enuntiatis consecutivis: a) praesens. b. g. IV 21. VI 38. 39. b. c. I 20. 38. 55. 80. 86. b) imperfectum. b. g. V 31, 6. b. c. I 48. 74. II 28. III 82.

Si enuntiata secundaria non ex ipso praesenti historico pendent, sed ex participio perfecti praevalet usus praeteriti cf. exempli gratia b. g. III 25. VII 9. 67. b. c. I 21. 75. interdum autem habemus etiam praesens, cf. b. g. III 18 *sarmentis virgultisque collectis, quibus fossas compleant, ad castra*

pergunt. VII 40 *adhortatus milites, ne permoveantur, moratur.* 80 *Caesar, exercitu disposito, ut teneat, iubet.* b. c. I 33 *ne tempus amittat infectis iis quae agere destinaverat, ab urbe proficiscitur.*

Uno loco deprehendimus in enuntiato secundario praesens historicum quamquam in enunt. primario non est. b. g. VII 61 *nam praesidio relicto et parva manu missa, quae tantum progrediatur, quantum naves processissent, duxerunt.*

Si in iis quae antecedunt cognovimus Caesarem post praesens historicum enuntiati primarii adamasse etiam in enuntiatis secundariis praesentis historici usum rariusque usum esse praeteritis, apud Hirtium contrarium statuere possumus cf. l. VIII. praesens: 21. 27. 34. 42. praeteritum: 6. 7. 11 bis. 12. 14. 16. 19. 24. 29. 38. 41. 48. 54 bis.

bell. hisp. praesens 3, 7. praeteritum: 4, 4. 6, 5. 32, 7. 34, 4. 36, 4. 38 6.

bell. afric. praesens: 9, 1. 36, 2. 74, 2. 92, 3. praeteritum: 4, 1. 13, 2. 15, 1. 18, 4. 26, 3. 31, 1. 2. 37, 1. 39, 2. 4. 63, 2. 70, 1. 85, 1. 88, 1. 6. 90, 2. 91, 4. 92, 1. 94, 1.

bell. alex. praesens: 9, 1. 14, 2. contra: 28, 1. 34, 5. 36, 1. 42, 5. 51, 3. 56, 5. 57, 4. 58, 4. 59, 3. 60, 3. 63, 4.

Apud Sallustium res sic se habet, in Catilina antecedit nunquam enuntiatum secundarium praebet autem tribus locis exceptis praesens. cf. Cat. 28, 2. 32, 2. 36, 3. 41, 5. 44, 1. 45, 1. 47, 3. 48, 5. 50, 3. praeteritum habemus: 40, 6 bis. 44, 3. in bello Iugurthino: bis antecedit enuntiatum secundarium praebetque praeteritum 98, 3. 106, 2. reliquis locis sequitur enuntiatum secundarium actionem primariam praebetque: a) praesens. 12, 3. 13, 6. 21, 4. 25, 5. 26, 1. 28, 1. 35, 2. 4. 49, 2. 54, 1. 56, 2. 4. 57, 2. 58, 5. 61, 5. 62, 1. 65, 3. 4. 80, 3. 93, 6. 103, 7. b) praeteritum. 23, 2. 32, 1. 5. 33, 2. 40, 1. 46, 2. 49, 1 (*praefecit atque edocet*). 52, 5 (*remittit, quid*

ageret, explorare). 57, 2. 61, 5. 62, 3. 71, 5. 75, 5. 83, 1. 107, 1. 109, 1. — In Iugurtha igitur habemus praeteritum totidem fere locis, quam praesens.

Apud Tacitum habemus in enuntiato secundario sequenti, quinque locis exceptis, praeterita, contra habemus praesens etiam in antecedenti enuntiato duobus locis.

a. enuntiata finalia.

α) praeteritum in enuntiato antecedente. hist. I 14. 54. 80. II 69. III 54. IV 18. 28. ann. I 51. 60. II 9. 55. 63. 78. III 8. 68. IV 52. VI 7. 48. XI 29. 33. XII 8. 27. 32. 33. 49. XIII 9. 18. 39. XIV 5. XV 9. 63. XVI 4,

β) in enuntiato sequente hist. II 66. III 14. 27. 48. 80. 84. IV 21. 23. 28. 40. 60. 69. 84. ann. I 18. 21. 32. 34. 44. 67. 70. 77. II 23. 30. 54. 65. 67. III 13. 15. 38. 64. IV 3. 8. 48. 59. VI 33. 35. XI 1. 2. XII 3. 22. 45. 46. 49. 50. 51. 53. 58. XIII 21. 24. 36. 37. 39. XIV 7. 12. XV 25. 56. 60. 64. 70. XVI 2. 8.

γ) in enunt. secundario habemus praesens antecedentibus in enunt. primario duobus praesentibus: III 31. IV 83. ann. II 40. 79.

δ) duobus praesentibus historicis interpositum est enunt. secundarium cum praesenti: hist. III 19. ann. I 48. Praeterea habemus coni. praesentis: hist. IV 40. ann. XII 13.

b. in interrogatione obliqua.

α) praes. hist. — imperf. ann. II 81. IV 69. XII 48. XV 61.

β) praes. hist. — perf. ann. I 39. hist. IV 82 *percontatur, num visus sit.*

γ) praes. hist. — plusq. hist. IV 82 *percontatur, num inisset* (cf. sub β). ann. II 9. III 16. XI 30.

δ) verbum enunt. sec. deest. hist. IV 83, 14. ann. II 9. 14. XV 56.

c. enuntiata consecutiva semper habemus imperfectum: ann. XI 32. XIIII 8. 20. 41. XV 9. 55. 60.

Praevalet igitur in his enuntiatorum generibus apud Tacitum usus praeteriti post praesens historicum.

V. Videamus nunc quo modo discrimen inter rationem temporum relativam et absolutam se habeat in aliis enuntiatorum generibus exceptis et his quae iam tractavimus et temporalibus quae infra accuratius tractaturi sumus.

In enuntiatis causalibus temporum rationes in hunc modum instituere possumus:

A. actio primaria et secundaria eiusdem sunt temporis.

a. coincidunt.

α) praes. — praes. Agr. 10.

β) imp. — imp. Agr. 30.

γ) perf. — imp. ann. XI 20.

δ) plusq. — imp. hist. III 54.

b. actio secundaria antea iam perfecta est et absoluta, quam actio primaria incipiat.

α) perf. — plusq. Agr. 4.

β) imp. — plusq. hist. III 4.

c. proprius iam accedimus ad rationem absolute causam et eventum coniungendi, si in enuntiato secundario perfectum habemus, quia hoc non distinguitur, utrum actio secundaria, si tempus spectamus propius vel longius ab actione primaria absit.

α) perf. — perf. ann. II 48 *auxit quod tradidit*, accuratius expressa esset natura actionis secundariae ratioque temporalis, si scripsisset Tacitus *qui tradiderat*.

β) imp. — perf. ann. XV 32.

B. actio primaria et secundaria non eodem temporis vinculo continentur.
 α) praes. — perf. Agr. 10. hist. IV 5.
 β) praes. — imp. Germ. 28. ann. XI 11.
 γ) praes. — futur. hist. IV 64.
 δ) perf. — praes. hist. III 58. IV 73. V 5. ann. II 42. IV 24. XI 25. XII 17. XV 3. 7.
 ε) imp. — praes. ann. II 56. 39.
 ζ) plusq. — praes. hist. I 72.

Haec omnia exempla sunt rationis temporum absolutae inter actionem primariam et secundariam; praesentis usus in euntiato secundario saepissime explicandus est ex Taciti studio res quae sunt praeteriti temporis ad causas omnibus temporibus communes revocandi.

In enuntiatis causalibus, quae coniunctivum praebent habemus fere semper coniunctivum imperfecti et plusquamperfecti, antecedentibus in enunt. primario praeterito, h. e. rationem relativam. ratione temporum absoluta explicandi sunt loci: hist. I 15 *in domo successorem quaesivit, ego in republica, non quia non habeam.* Germ. 36 *fuit, quia quiescas.*

Indicativum et coniunctivum habemus ann. VI 18 (24).

De modorum usu in enuntiatis causalibus iam Reufs egit protulitque in dissertatione p. 29 tabulam, qua demonstraret Tacitum in posterioribus annalium libris saepius coniunctivum adhibuisse in enuntiatis a particula *quod* incipientibus, quam in libris annalium prioribus et in historiis. Hoc tamen Reussii tabula probari nequit, quia etiam eos locos numeravit, qui orationis obliquae sunt et ea de causa iam coniunctivum praebere debent.

In enuntiatis adversativis cum coniunctivo praevalet, sicut in enuntiatis causalibus, ratio temporum relativa. rationem absolutam habemus :

a. ann. IV 4 *nam Drusus, quamquam arduum sit eodem loci potentiam et concordiam esse, aequus adulescentibus aut certe non adversus habebatur.*
b. G. 28 *ac ne Ubii, quamquam meruerint, erubescunt.* Agr. 3, 3—7. 13, 5. 6. hist. III 22, 6. 7.
c. ann. XV 52 *etenim expers coniurationis erat, quamvis expleverit.*
d. Germ. 29 *non numeraverim, quamquam consederint.*
e. ann. VI 57 (51) *pater ei Nero et utrimque origo gentis Claudiae, quamquam transierit.*

In modalibus quoque enuntiatis praevalet ratio temporum relativa, absolutam habes hist. II 47 *eat hic mecum animus tanquam perituri pro me fueritis, sed este superstites.*

Diversissimas temporum rationes quae in enuntiatis relativis intercedere possunt inter actionem primariam et secundariam hoc loco enumerare supervacaneum est, hoc tamen dicam etiam in enuntiatis relativis quae indicativum praebent, deprehendi saepe discrimen inter relativam et absolutam temporum rationem, si scriptor actionem secundariam quae ad quodlibet tempus spectat ad certum quoddam tempus refert. Sic apud Sallustium Cat. cap. 11 legimus: *set primo magis ambitio quam avaritia animos hominum exercebat, quod tamen vitium propius virtutem erat.* Hoc loco relata est sententia enuntiati secundarii omni tempori communis ad id tempus de quo scriptor narrat. quamquam igitur in hoc exemplo rationem relativam praelatam vides rationi absolutae, nullo pacto negabis Sallustium eodem iure dicere potuisse: *quod tamen vitium propius virtutem est,* praesertim cum pergeret his verbis: *nam gloriam .... exoptant.* Apud historicos hoc discrimen saepe invenimus in describendis locis ac situ regionum qui sunt etiam eius aetatis cuius est scriptor.

Absoluta est actio secundaria quae praeteriti quidem temporis est, exprimitur autem nec imperfecto nec plus-

quamperfecto, quibus accuratius describatur quo modo se habeat ad tempus enuntiati primarii, sed perfecto quo notio praeteriti exprimitur magis quatenus ad tempus loquentis spectet.

In enuntiatis relativis cum coniunctivo habemus rationem absolutam

a. si coniunctivus perfecti in enuntiato secundario est. cf. hist. I 15, 18. I 10, 11. 37, 10. hist. III 75, 7. ann. II 88, 13. ann. XI 24, 6.

b. si coniunctivus praesentis : ann. XVI 35 *in ea tempora natus es, in quibus firmare expediat.*

Huc pertinet etiam de hist. I 11 *Aegyptum copiasque quibus coerceretur iam inde a divo Augusto equites Romani obtinent loco regum.* tempus enuntiati relativi huius exempli relatum est non ad id tempus quo adhuc equites Romani Aegyptum copiasque obtinebant, sed ad id tempus quo obtinere inceperunt, quod erat tempus Augusti.

VI. Haud parvi momenti est cognoscere quaenam causae rationesque iis regulis subsint, quas grammatici proferunt de consecutione temporum in enuntiatis ex infinitivis participiisque pendentibus.

Si infinitivum praesentis invenimus distinguendum est, utrum infinitivus propriam vim habeat temporalem an nihil aliud significet nisi notionem verbi per se solam. Hoc positum est si ex praeterito pendet cf. hist. III 52 *explorare placuit, si qua adirentur* et in exemplis ita comparatis refertur tempus enuntiati secundarii ad actionem primariam. Similiter res se habet si in enuntiato primario futurum habemus cf. ann. I 58 *tuum erit consultare, utrum praevaleat* qui locus mea quidem sententia in hunc modum explicandus est: infinitivus *consultare* propriam vim temporalem non habet, actio igitur secundaria respectu temporis pendet ex actione primaria, ea autem in nostro exemplo

futuri temporis est quocum actio secundaria nisi absolute non coniungi potest. *praevaleat* est igitur actio secundaria ratione temporum absoluta cum actione primaria *erit* coniuncta. Simili ratione explicandum esset, si legeremus: *tuum erit demonstrare, quis hoc fecerit.*

Propriam suam temporalem vim infinitivus praesentis servare non potest, nisi regens quoque verbum temporis est praesentis. Tamen etiam in tali temporum ratione explicandus est perfecti coniunctivus in enuntiato secundario ratione temporum absoluta.

Infinitivus perfecti apud optimos scriptores semper propriam suam notionem temporis praeteriti servavit, qua de causa factum est ut in enuntiatis secundariis ex infinitivo perfecto pendentibus si ratione temporum relativa cum infinitivo coniuncta sunt, coniunctivum habeamus imperfecti et plusquamperfecti, etiamsi actio primaria praesens sit cf. si legimus *pulcrum est effecisse, ut haec lex servaretur.* tamen etiam ratione temporum absoluta hanc sententiam exprimere potest scriptor si dicit *pulcrum est effecisse, ut haec lex sit servata* aut *salva sit.*

Si enuntiata secundaria ex participiis pendent res sic se habet. Participia propriam quandam vim notionemque exhibent temporalem, quae si ex temporibus enuntiati secundarii non elucescit, agnoscimus aut rationem temporum absolutam inter actionem secundariam et eam, quae expressa est participio, aut participium adiectivi instar usurpatum est, ita, ut propria notio temporalis evanuerit.

VII. At quaesiverit quispiam quomodo artificiosa de consecutione temporum ratio, qualem invenimus in libris grammaticis, oriri potuit. In enuntiatis finalibus, consecutivis, interrogatione indirecta, quia praevalet ratio temporum relativa, severitatem quandam observamus in deligendo tempore enuntiati secundarii, qualem in lingua graeca, quae

natura sua in temporum ratione est liberior, non invenimus.

Cum autem non intellegeretur totam hanc rem facile explicari posse si discrimen inter relativam et absolutam temporum rationem statueretur, omnia quae huc pertinebant relata sunt ad propriam quandam vim actionis primariae temporaque in duas illas classes distributa, quae legitima via inter se coniungi posse grammatici negant.

Haec autem temporum distributio ea de causa accurata non est et non nisi ad explicandam illam temporum consecutionem facta esse videtur quia in praesentium numerum redigunt et perfectum illud quod logicum vocatur et futurum.

Totum vero illud genus, quod temporum consecutionem vocant, cum in propria quadam verbi regentis vi positum esse existimarent grammatici, id quod primo in nonnullis tantum observaverunt enuntiatorum generibus extendebant quasi in omnibus valeret, quodque in iis enuntiatorum generibus observatum est quae semper coniunctivum praebent ad propriam quandam coniunctivi legem referebatur.

Particula tertia.

Cum secunda parte, qua in re consecutio temporum posita sit, examinaverim, accuratius iam enuntiatorum temporalium quaedam genera tractabo.

De particula *postquam*.

Hoffmanni ratio in explicandis temporibus, quae cum particula *postquam* coniunguntur haec fere est [1]: imperfectum et plusquamperfectum, si vim habent relativam in enuntiatis temporalibus non inveniuntur, nisi coniunctivum praebeant, qua de causa indicativum imperfecti in enuntiatis a particula *postquam* incipientibus non vim temporalem relativam habere, sed qualitatem tantum quandam actionis significare, plusquamperfecti vero indicativum semper logice esse intellegendum h. e. idem valere atque imperfectum, quod quidem nihil aliud significet nisi qualitatem quandam actionis non temporis notionem.

Contra hanc sententiam dicendum est, si imperfectum in enuntiatis a particula *postquam* incipientibus vim temporalem relativam non habeat, sed qualitatem tantum actionis secundariae indicet, id non esse inde repetendum, quod indicativus imperfecti in enuntiatis temporalibus hanc vim temporalem relativam non habeat, sed inde quod cum notione particulae *postquam* stare nequit, qua significatur actio secundaria non quatenus per idem tempus actioni primariae durat, sed quatenus aut perfecta est aut incepit, priusquam actio primaria incipiat. Plusquamperfecti vero genuinam ac propriam notionem non intellego cur mutemus in imperfecti vim ac significationem, cum

---

[1]) Zeitpartikeln p. 46 sqq.

bene quadret ad notionem particulae *postquam*, indicat enim actionem secundariam perfectam iam esse absolutamque priusquam incipiat actio primaria.

Perfectum autem cum particula *postquam* coniunctum significat actionem primariam statim incepisse post actionem secundariam, ita tantum ut non indicetur utrum actio secundaria absoluta iam nec ne sit.

Videmus igitur plusquamperfecto actionem secundariam accuratius definiri atque circumscribi, quam perfecto. Si autem lingua latina perfectum praecipue adhibuit in enuntiatis a particula *postquam* incipientibus, referendum id est ad linguae latinae vivacitatem habitumque oratorium. Efficacius enim exprimitur statim post actionem secundariam incepisse actionem primariam, si eo quod perfecti usu utraque actio arctissime coniungitur quasi coincidentia quaedam oritur. Ad eandem linguae latinae naturam rhetoricam refero etiam praesens illud historicum in enuntiatis a particula *dum* incipientibus.

Proferam nunc exempla ex Taciti, Sallusti, Vellei libris ita collecta ut distinctum sit, etiam utrum enuntiatum secundarium antecedat (α) actionem primariam, an sequatur (γ) an enuntiatum primarium in duas dividat partes (β).

Apud Sallustium.

A. cum indicativo perfecti.

a. *in enuntiato primario est perfectum.* α) Cat. 12, 1. 21, 1. 26, 5. 55, 5. Iug. 91, 5 (?). β) Cat. 38, 1. 39, 1 (*sed*). 51, 5 (*sed*). Iug. 8, 2. 41, 4. 96, 1. 114, 3 (*sed*).

b. *praesens historicum.* α) Cat. 45, 3. 55, 1. 62, 2. Iug. 15, 10. 26, 1. 35, 4. 46, 4. 52, 6. 62, 6. 71, 4. 75, 2. 88, 4 (?). 106, 6. β) Iug. 18, 3 (*sed*). 21, 4 (*sed*). 35, 10 (*sed*). 71, 5. 82, 1. 104, 4.

c. *infinitivus historicus.* α) Cat. 51, 40. 53, 1. Iug. 30, 1. β) Iug. 12, 5. 84, 1.
d. *imperfectum.* α) Cat. 52, 1. Iug. 14, 10. β) Cat. 53, 5 (*sed*).
e. *plusquamperfectum.* β) Iug. 42, 1.
f. *verbum enunt. primarii deest.* α) Cat. 6, 2.

B. cum indicativo praesentis historici.
a. *in enuntiato primario est perfectum.* α) Cat. 21, 5. 40, 3. β) Iug. 15, 5. 84, 5.
b. *praesens historicum.* α) Iug. 38, 3. β) Cat. 57, 1 (*sed*) 5. 60, 7. Iug. 53, 3. 56, 6. 61, 1. 68, 1. 76, 6. 80, 1. 86, 1.
c. *infinitivus historicus.* β) Cat. 66, 1. 79, 7.
d. *imperfectum.* β) Iug. 6, 2.

C. cum indicativo imperfecti.
a. *in enuntiato primario perfectum est.* α) Iug. 28, 2. β) Cat. 6, 3 (*sed*).
b. *praesens historicum.* β) Iug. 58, 7.
c. *infinitivus historicus.* α) Iug. 53, 7. β) Cat. 56, 4. Iug. 13, 5.

D. cum indicativo plusquamperfecti.
a. *in enuntiato primario perfectum est.* α) Iug. 11, 2. β) Iug. 97, 1.
b. *imperfectum.* β) Iug. 44, 4.

E. duo tempora coniuncta sunt in enuntiato secundario. α) Cat. 12, 1 *postquam coepere et sequebatur, hebescere virtus.* Iug. 20, 1 *postquam decessere et Iugurtha videt, intendit.* 27, 1 *quod postquam Romae cognitum est et res agitari coepta, leniebant.* 64, 3 *postquam dixit neque flectitur, respondit.* 70, 5 *postquam non venit metusque impediebat, mittit.* 79, 7 *postquam fusae fugataeque et adtriverant, faciunt.*

F. in enuntiato secundario omissum est verbum substantivum: Iug. 91, 3 *dein, postquam visum, egreditur.* 109, 2 cf. etiam : Iug. 27, 1. 79, 7.

G. enuntiatum secundarium pendet non ex verbo regenti enuntiati primarii. Iug. 85, 1 *scio plerosque petere et postquam adepti sunt gerere.* 88, 1 *excipitur, plebi patribusque, postquam decesserat, iuxta carus.* 85, 12 *scio, qui, postquam facti sunt, coeperint.* 108, 1 *agebat, praemissus a Iugurtha, postquam audiverat.* ep. Mithr 17 *an ignoras Romanos, postquam fecit, convertisse.*

H. Duo loci corrupti sunt: Iug. 92, 1. 93, 3.

His haec addenda sunt :

1) habemus in enuntiatis secundariis Catilinae undeviginti perfecta, sed quattuor tantum praesentia historica, quae omnia verbi sunt videndi. (*postquam videt*), contra in enuntiatis secundariis belli Iugurthini inveniuntur triginta duo perfecta, quindecim praesentia historica quorum praesertim nonnulla aliorum etiam verborum sunt (*postquam videt:* Iug. 15. 20. 53 *vident.* 61. 76. *vident.* 86). Simili ratione habemus in enuntiatis primariis Catilinae duodecim perfecta, sex praesentia historica, contra in enuntiatis primariis belli Iugurthini sedecim perfecta, viginti vero septem praesentia historica. Videmus igitur in hoc enuntiatorum genere belli Iugurthini elocutionem alacriorem esse elocutione Catilinae. Hoc quoque concedendum est in bello Iugurthino temporum rationem maioris esse varietatis quam in Catilina.

2) *sed postquam* legimus Cat. 11. 39. 51. 53. 56. 57 bis. (35 pgg.) Iug. 8. 18. 21. 35. 36. 114. (70 pgg.) *nam postquam* Cat. 38. Iug. 42. 44. 84. *interim*

postquam Iug. 66. *dein postquam* Iug. 91. *is postquam* Iug. 15. 70. *ei postquam* Iug 76.

Apud Velleium.

Apud Velleium habemus in enuntiato secundario semper indicativum plusquamperfecti; in enuntiato primario :

a. indicativum perfecti.

α.

I 14, 2 *post — quam ceperant, deducta est.*

β.

I 8, 4 *sexta ol., post duo et viginti annos quam prima constituta fuerat Romam, condidit.*

I 13, 1 *Mummius Corinthum, post annos — quam condita erat, eruit.*

γ.

II 44, 4 *eo deducta et ius restitutum post annos circ. cent. quam redacta erat.*

b. indicativum praesentis.

I 2, 1 *Tum fere anno octogesimo post Troiam captam, centesimo et vicesimo quam Hercules ad deos excesserat, expellitur.*

huic exemplo praeterea inest figura quae *ζεῦγμα* a grammaticis vocatur.

Apud Tacitum.

I. cum indicativo perfecti.

a. *in enuntiato primario habemus perfectum :* *α*) hist. I 1, 5. 36, 13. V 8, 6. ann. I 34, 5. XVI 32, 13. *β*) hist. IV 49, 25. ann. II 9, 3. 55, 18 (*et*). IV 3, 11 (*et*). XII 17, 10. *γ*) hist. II 73, 2. ann. II 13, 15. IX 71, 4. XV 67, 8.

b. *imperfectum.* *α*) Agr. 37, 15. hist. III 25, 5. ann. III 21, 15. *β*) hist. II 66, 20.

c. *praesens historicum.* α) hist. II 4, 3. ann. I 25, 1. 68, 8. XIII 9, 8. β) hist. I 25, 3. II 20, 11. ann. I 20, 1. 28, 3 (*et*). IV 47, 2. 68, 15 (*et*). XI 7, 1 (*et*). XIII 41, 3. XVI 14, 3. γ) hist. III 7, 8. IV 40, 11.

d. *infinitivum historicum.* α) ann. XIII 3, 5.

e. *praesens.* β) Agr. 30, 17 *raptores orbis, postquam defuere, scrutantur.*

f. *verbum substantivum deest in enuntiato primario.* α) ann. III 1, 15. β) ann. XIII 21, 4.

II. cum indicativo imperfecti.

a. *in enuntiato primario habemus perfectum.* α) hist. II 19, 1. III 48, 8. β) hist. III 89, 15. ann. IV 49, 2 (*et*). VI 21 (15), 2. XI 22, 3. γ) ann. VI 51 (57), 17.

b. *plusquamperfectum.* γ) hist. III 45, 5.

c. *praesens historicum.* β) hist. II 29, 1. ann. I 39, 19. XII 13, 1. XIII 14, 7. 44, 9.

d. *infinitivum historicum.* α) ann. I 4, 4. β) ann. XV 37, 13.

e. *verbum substantivum deest in enuntiato primario.* β) hist. II 72, 9 (*et*). ann. IV 72, 11 (*et*).

III. cum indicativo plusquamperfecti.

a. *in enuntiato primario perfectum est.* β) hist. II 68, 10. ann. I 1, 12. IV 45, 12. XI 11, 1 (cf. Vell. I 2, 1). XIV 37, 2. 49, 1 (*et*). XV 20, 7. γ) dial. 22, 9. hist. I 26, 2. III 72, 8.

b. *imperfectum.* β) hist. IV 3, 14. ann. XII 59, 5. XIV 39, 6. γ) ann. XV 15, 13.

c. *praesens historicum.* β) hist. IV 39, 21. ann. II 65, 10 (*et*). ann. VI 27 (21) 7. XII 12, 9. XIII 44, 22. 54, 15. γ) hist. IV 62, 15.

d. *infinitivus historicus.* β) ann. XII 15, 1.

e. *verbum substantivum enunt. prim. deest.* γ) ann. I 49, 6.

IV. cum praesenti historico.

a. *in enunt. prim. est praesens historicum.* β) hist. I 5, 3. (*intellegit.*) IV 57, 15. (*videt.*) ann. I 48, 10. (*vident.*) III 15, 6. (*intellegit.*) XIV 60, 1. (*videt.*)

b. *perfectum.* α) ann. I 6, 15. (*animadvertit.*) β) hist. IV 49, 25. (*comperit.*) γ) ann. XV 69, 4. (*ait.*)

V. cum indicativo praesentis.

α) ann. XIV 14 *postquam vero nationes in familia habemus, vix coercueris* = habere incepimus etc. cf. Verg. ecl. I, 30.

VI. in enuntiato secundario omissum est verbum substantivum.

a. *in enunt. prim. praesens est.* hist. IV 81 *utrumque qui interfuere nunc quoque memorant postquam nullum mendacio pretium.*

b. *perfectum.* α) hist. II 33, 8 *postquam placitum, dubitavere.* II 19, 1 *postquam in conspectu Padus et nox adpetebat, placuit.* β) hist. IV 44, 6. (*itum.*) ann. III 26, 8. (*pertaesum.*)

c. *praesens historicum.* α) hist. I 79, 4. (*compertum.*) ann. VI 39 (33), 5. (*cognita.*) β) ann. VI 9, 8. (*digressi.*)

d. *infinitivus historicus.* α) ann. XII 35, 9 *postquam compages distractae parque comminus acies, decedere barbari.*

e. *plusquamperfectum.* β) hist. I 22, 12.

f. *copula omissa est.* hist. II 72, 9 *postquam nulla dictis fides et noscebatur, sumptum.*

VII. duo tempora coniuncta sunt in enuntiato secundario.

Hoffmann adtulit ann. II 82 *postquam percrebuit et adferebantur, erumpebant questus* addendi hi sunt loci: ann. XII 6 *postquam haec permisit multaque sequebatur* e. q. s. ann. XIII 26 *postquam advenerant pugnamque poscebant, funditur.* (cf. etiam hist. II 19, 1. 72, 9. ann. III 55, 9.)

VIII. non ex ipsa actione primaria pendet enuntiatum a particula *postquam* incipiens:

ann. XV 45, 12 *ferebatur Seneca oravisse et postquam non concedebatur, quasi ... cubiculum non egressus.* ibid. 67, 4 *mox eorundem indicio Subrius Flavus tribunus pervertitur, primo trahens, dein, postquam urguebatur, confessionis gloriam amplexus.* dial. 38, 17 *non denique ullus magni oratoris liber apud centumviros .... exceptis orationibus Asinii quae pro heredibus Urbiniae inscribuntur ab ipso tamen habitae, postquam .. pacaverat.* hist. III 47, 4 *is fuit Anicetus Polemonis libertus, praepotens olim et, postquam — verterat, mutationis impatiens.*

IX. cum oratione obliqua cohaerent, praebent autem nihilominus indicativum haec exempla:
ann. IV 73, 25. VI 14 (8) 6. 31 (25), 3.

---

et postquam: ann. I 28. II 55. 65. IV 3. 49. 68. 72. XIV 49. XV 37. *deinde postquam:* hist. IV 39. XIII 14. 21. 41. *nam potquam:* ann. XI 22. *ac postquam:* ann. XIII 44. *igitur postquam:* ann. XIV 60.

De usu particulae *priusquam* apud Sallustium.

I. cum coniunctivo praesentis.

a. in enuntiato primario indicativus praesentis est. δ) Cat. 4, 5 *pauca prius explananda sunt, quam faciam.*

b. imperativus: α) Cat. 1, 6 *priusquam incipias, consulto.*

II. cum indicativo perfecti.

a. in enuntiato primario indicat. perf. est: δ) Cat. 51, 34. Iug. 35, 8.

b. praesens hist. β) Iug. 97, 4.

III. cum coniunctivo imperfecti.

in enuntiato primario infinitivus est historicus. δ) Iug. 4, 6.

IV. cum coniunctivo imperfecti.

a. in enuntiato primario habemus perfectum: β) or. Lep. 6.

b. praesens historicum. β) Iug. 54, 10. 59, 1.

c. infinitivum historicum. γ) Cat. 13, 3.

V. enuntiatum secundarium pendet non ex actione primaria.

Cat. 32, 1 ... *credens, priusquam .... scriberentur antecapere, profectus est.* 44, 3 *mittit, ut — priusquam pergerent, confirmarent.* Iug. 25, 10 *efficere potest, ut priusquam circumveniret, potiretur.* 44, 3 *putabat non prius attingere, quam coegisset.*

Apud Velleium

cum coniunctivo imperfecti antecedenti in enuntiato primario perfecto. β) II 42, 3 *revectus ad mare, priusquam*

redderentur, suffixit cruci. δ) I 10, 2 *iussitque prius responsum reddere, quam egrederetur.*

Uno loco habemus *pridie* — *quam* II 65, 2.

De particula *antequam* apud Tacitum.

I. cum coniunctivo imperfecti.

a. in enuntiato primario perfectum est. α) hist. II 25, 1. β) hist. III 70, 1. IV 66, 15. 85, 1. ann. IV 46, ·10. (*sed.*) γ) hist. III 15, 2. ann. XV 15, 7. δ) ann. XV 39, 1.

b. imperfectum. β) hist. I 67, 11. γ) hist. I 33, 1. ann. IV 67, 12.

c. plusquamperfectum. α) hist. II 6, 1. γ) hist. I 7, 5.

d. in enunt. prim. deest copula. β) ann. II 73, 13. γ) hist. I 74, 12.

II. cum coniunctivo praesentis. α) hist. I, 4 *antequam componam repetendum videtur.* dial. 5 *antequam recuset, faciam.*

III. cum coniunctivo perfecti. δ) ann. XV 74 *honor principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit.* δ) Germ. 13, 2 *sed arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit.*

IV. cum indicativo perfecti. (copula in enunt. prim. deest.) δ) ann. XII 5 *nec ante omissa cunctatio, quam sumpsit.* γ) ann. I 70 *nec fides salutis antequam Caesarem exercitumque reducem videre.*

V. non ex ipsa actione primaria pendet enuntiatum secundarium. dial. 27 *aiebas, mitior et minus*

iratus, antequam — offenderet. hist. II 96 *nuntiatur, missis epistolis, antequam adgregaretur.* IV 52 *Titum, antequam digrederetur, orasse ferunt.* IV 79 *unde metus et iustae preces invocantium, antequam accingerentur.*

Apud Velleium.

I. cum coniunctivo imperfecti.

a. in enuntiato secundario indicativus est perfecti. α) I 13, 1. II 93, 1. β) II 30, 2. 62, 1. 84, 1. 87. 3. γ) I 8, 1. 12, 6. δ) II 112, 5.

b. in enuntiato primario est indicativus plusquamperfecti. α) II 28, 1.

II. cum indicativo perfecti.

a. in enuntiato primario est indic. perf. δ) II 45, 5.

b. coniunct. plusq. β) II 48, 2.

III. Haec restant exempla: I 7, 3 *sed Marcus Cato, quantum differt, qui dicat, stetisse Capuam antequam a Romanis caperetur annis circiter ducentis sexaginta.* II 49, 3 *nihil receptum a Pompeianis cum alter consul iusto esset ferocior, Lentulus salvus esse non posset, M. autem Cato moriendum ante, quam ullam condicionem pacis accipiendam rei publicae ostenderet.* 129, 3 *mira celeritate compressit ut ante populus Romanus vicisse se, quam bellare cognosceret.*

Apud Sallustium habemus uno loco enuntiatum a particula *antequam* incipiens: Iug. 97, 4 *et priusquam exercitus aut instrui, aut sarcinas colligere, denique antequam signum aut imperium ullum accipere quivit, incurrunt.*

De usu particulae *cum*.

E. Hoffmann, cum dicat in enuntiatis secundariis a particula *cum* incipientibus indicativus esse non posse, nisi actio secundaria omnibus ex partibus aequalis sit actioni primariae, omnia illa exempla in quibus et indicativus est et utraque actio, si tempora spectamus, non congruit, ita explicat, ut dicat ambas actiones re vera inter se congruere nec nisi forma esse diversas. Quod vero, ut supra iam dictum est, affirmat, imperfectum et plusquamperfectum, si modo ratione temporum relativa usurpata sint, coniunctivum praebere debere in enuntiatis temporalibus, illos quoque locos, quibus vis temporalis relativa inesse videtur et nihilo minus indicativus est, alia via explicat.

Priusquam has Hoffmanni in explicando singulos locos rationem examinem, proferam liceat meam de tota quaestione sententiam.

Hoc sine dubio verum est in enuntiatis a particula *cum* incipientibus, si ratio temporalis integra puraque est neque ratio causalis vel similis quaedam admixta est, utramque actionem idem valere h. e. actionem secundariam non tam subordinatam esse actioni primariae quam coordinatam; et haec causa esse videtur indicativi in talibus enuntiatis. Contra si scriptor duas actiones non ita coniungere vult, ut eandem porro vim habeant et aequalem, sed ita ut altera plus valeat quam altera, habemus coniunctivum.

Nihil est cur rationem hanc non appellemus rationem relativam, illam rationem absolutam, sed hoc discrimen intelligendum est non de ratione temporali, sed ad vim atque pondus utriusque actionis referendum. Atque exempla proferamus.

a. futurum — praes. (Hoffmann Zeitpart. p. 65. 66.) praesens in enuntiato secundario non id tempus significat, quod ei qui loquitur praesens est, sed ita usur-

patur, ut significet aliquid quod ad omne tempus spectet. absolute igitur coniuncta est actio secundaria cum actione primaria, si tempus spectamus; relative esset coniuncta, si, ut exemplum adferam, Cicero p. Rosc. Am. 40, 116 non: *ad cuius fidem confugiet is, cum laeditur* scripsisset, sed *cum laedetur*. In omnibus illis, quae Hoffmann enumeravit, exemplis ratio temporalis prope accedit ad rationem condicionalem. Quamquam igitur in his exemplis ratio temporalis non integra est et pura, tamen indicativum habemus, quia in enuntiatis condicionalibus simili ratione quam in enuntiatis a particula *cum* incipientibus mereque temporalibus actio secundaria actioni primariae coordinata potius est quam subordinata.

b. praes. — futur. (Hoffmann p. 67—69.) In his exemplis enuntiatum primarium ita comparatum est, ut ad unum quodque tempus spectet. Quodammodo igitur absoluta est actio primaria in temporum ratione ab actione secundaria; hoc enim ea de causa dicere possumus, quia in enuntiatis a particula *cum* incipientibus quae indicativum praebent actio secundaria idem valet quod actio primaria ita, ut saepissime inter se mutari possint.

c. perf. hist. — praes. hist. (p. 70.) In hoc temporum discrimine ea de causa offendendum non est, quia praes. hist. idem valet ac praeteritum. Non intellego cur Hoffmann de Cic. Cat. m. 4, 11 *Tarentum vero qua vigilantia recepit, cum ... inquit* .. tam multa verba faciat, nam *recepit* pro logico perfecto habendum non est.

d. perf. hist. — praes. praes. Actio secundaria vel ad omne tempus referri potest, vel praesens explicandum est ex alacritate elocutionis, ita, ut ad naturam praesentis accedat historici. Accuratius explicare hunc usum non possumus, quia tria tantum habemus exempla, quorum duo quidem (Verg. Georg. I 287. III 457) ita comparata

sunt, ut actio secundaria omni tempori sit communis, tertium vero (Cic. ad Attic. IV 18, 1) iis quae Hoffmann dicit non explicatur. Putat enim *cum* idem significare quod *quotiens*, sed difficultas eadem manet si dicimus *quotiens video, dedi*, ac si dicatur: *cum video, dedi* fortasse res ita explicari potest, ut referatur ad alacriorem liberioremque in epistolis elocutionem. Ad duos Vergilii locos hoc addendum est non tam in enuntiato secundario rariorem quendam cerni usum, quam in enuntiato primario, in quo perfectum rariore quidem sed apud poetas usitata ratione usurpatum est pro praesenti.

Tamen concedendum est fieri non posse quin hunc usum, cuius tam pauca habemus exempla eaque inter se diversa, accurate cognoscamus intellegamusque qualis eius sit natura.

e. praes. hist. — perf. hist. (p. 72.) Haec temporum ratio nihil habet proprii, unum vero exemplum Hoffmann non accurate intellexisse videtur, cum dicat: *etwas seltsam nimmt sich das praes. in der Stelle bell. hisp. 8, 6 aus „nam cum inter Ateguam et Ucubim Pompeius habuit castra constituta in conspectu duorum oppidorum, ab suis castris circiter milia passuum quattuor grumus est excellens natura, qui appellatur castra Postumiana“* in hoc exemplo habemus anacoluthiam quandam, praesens illud non praesens historicum est, sed praesens praesens a tota structura absolutum et velut in parenthesi additum, enuntiato autem a particula *cum* incipienti re vera respondet illud quod sequitur: *ibi Caesar habuit castellum constitutum* et locus ita est intellegendus tanquam scriptum esset: *cum habuit... praesidii causa habuit castellum in grumo, qui appellatur castra Postumiana.*

Sed haec sufficiunt ad cognoscendum qua ratione talia discrimina temporum sint explicanda. Ac de ratione qua Hoffmann vim relativam indicativo imperfecti et plusquam-

